



## **Christ-eyfriger Seelen-Wecker/ Oder Lehrreiche Predigen**

...

... Tomus Divinus und fürnehmlich das Evcharistiale, Das ist: Lehrreiche Predigen Auff verschiedene hohe Fest deß Drey Einigen Gottes/ und Jesu Christi unsers Herrn ...

**Barcia y Zambrana, José de**

**Augsburg, 1720**

Censura Rerendissimi Patris Fratris Joannis de S. Antonio, SS. Theologiæ Lectoris & olim in Provincia S. Josephi Ordinis Discalceatorum de Arctissima, & Regulari Observantia S. Patris Francisci ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76523)



# C E N S U R A

Reverendissimi Patris Fratris Joannis de S.  
 ANTONIO, SS. Theologiæ Lectoris & olim in Provincia  
 S. JOSEPHI Ordinis Discalceatorum de Arcetissima, & Regulari  
 Observantia S. Patris Francisci Provincialis, jam verò Madriti in Regio  
 Conventu S. Ægidii Guardiani, & actualis dictæ Provinciæ  
 Definitoris.

## M. P. S.



Estæ Altitudinis jussioni morem gerens vidi, & legi librum, cujus  
 titulus: *Excitator Christianus, Divinus, & Eucharisticus, continens  
 varios sermones de Sanctissimo Sacramento, & aliis Mysteriis.* Author  
 verò illius est Doctor D. Josephus de Barcia, & Zambrana, in sancta  
 Ecclesia Toletana Canonicus, & Regiæ Majestatis Concionator.  
 Atque in opere isto impletum inveni, quod David varicinatus  
 est: *Accedet homo, inquit, ad cor altum, & exaltabitur DEUS.*

*Pfal. 63.  
 Hug. hic.*

Ubi eminentissimus Hugo ita commentatur: *Homo rationalis Philosophus: ad cor al-  
 tum, id est ad cognitionem altam.* De quo item Sapiens in Proverbiis: *Qui perscru-  
 ator est, inquit, Majestatis.* Accessit enim verò author, verè sapientissimus, ad co-  
 gnitionem planè altissimam, dum divinæ Majestatis celsitudinem in ineffabi-  
 libus ejus mysteriis investigavit; eo fine, ut DEUS in cordibus hominum exal-  
 tetur, prout optimè insinuavit Incognitus: *Deus enim, inquit ille, non in se, sed in  
 corde hominis grandescit.* Quod quidem certo, & indubitato fiet in cordibus eorum,  
 qui librum hunc legerint; secus enim fieri vix poterit, quin animus etiam ad diver-  
 sissima distractus tantâ scripturæ abundantia, tam ingenioso ejus usu, & inductione,  
 tam formosa diversorum argumentorum varietate erigatur, inflammetur, & viva  
 quadam fide, ac studiosa Domini nostri DEI Eucharistici in perpetuò adorando Al-  
 taris Sacramento præsentis veneratione effervescat. Ut itaque præsentis libri autho-  
 ri optimè aptari possit, quod Divus Chrysostomus in Ecclesiæ Doctores dixit labo-  
 riosis, artificiosisque apibus eos comparando. Nam sicut apes de flore ad florem  
 circumvolantes dulciculum illum liquorem quasi ostiatim combibunt, selectumque,  
 ac limpidum tamdiu conservant, quoad mellis inde dulcedinem, ac favos conficiant.  
 Pari modo, ait Chrysostomus, qui sapientes sunt, & docti intelligentiæ aliis subvecti  
 per amæna sacrarum, ac divinarum scripturarum arbuscula circumvolitant, conten-  
 tumque in illis veri spiritûs liquorem eliquant, suoque labore, & arte eò contendunt,  
 ut postmodum in auditorum suorum corda dulcissimum vivæ divinarum mysterio-  
 rum fidei mel guttatim diffundant. *Ita & Ecclesia Doctores, verba sunt Constanti-  
 nopolitani Archiepiscopi, super amana, vernantiaque scripturarum viridaria levi men-  
 tis alâ residentes; & insitum littera succum spiritûs haurientes, solliciti sunt, ut dulcissimum  
 mel fidei auditorum cordibus planè instillent.* Et verò author omni sua cura totus quan-  
 tus in hoc unum inclinat, quod manifestè elucet ex acuta dicendi ratione, & inge-  
 niosa claritate, qua ea, quæ in admirabili Eucharistiæ Sacramento altissima maxi-  
 mèque recondita sunt, per omnem sermonum de illo institutorum decursum expo-  
 nit, & declarat. Ad eundem scopum tendit *Epistola exhortatoria* ad sacros Præcones,  
 quam libro huic in fronte præfigit; meretur autem Epistola hæc æstimari, perinde  
 atque observari, siquidem revera convincit, stringit, & docet sacrum verbi mini-  
 sterium, & divinarum scripturarum studium competenti ratione exerceri debere: ita

*Prov. 25.*

*Incognit  
 in psal. 63.*

*Chrysof.  
 in psalm.  
 115.*

C E N S U R A.

D. August.  
in Præfat.  
psal. 140.

nimirum, uti S. Augustinus docet: *Sunt in scripturis sanctis, inquit ille, profunda mysteria, quæ ad hoc absconduntur, ne vilescant, ad hoc quaruntur, ut exerceant, ad hoc appetuntur, ut pascant.* Recondita quippe sunt sacræ paginæ mysteria, ne fortè vulgari quavis, & facili intelligentiâ comprehensa minus fiant æstimabilia. Curiosè, autem investigantur, ut vigilantia, & studiorum labor occupetur, ac conservetur. Et denique magno desiderio appetuntur, ut suum inde ministraretur animabus pabulum. Et hæc omnia admodum vera esse deprehenduntur in libro isto talis authoris operâ confecto, qui posteaquam tanta jam scripsit, & in lucem edidit, eaque mera quasi ævi nostri miracula, nihilominus tanta adhuc abundat eruditione, & doctrinâ; quam continuatâ semper vigilantia, & industria ex profundis Sacræ Scripturæ mysteriis identidem haurit, & profundit. Qua in re indubitabile authori dicit testimonium indefessa illius scribendi assiduitas, & ardens illud pro communi animarum utilitate desiderium. Cui porrò adstipulatur solitudo illa, & ab omni propria commoditatè remora vivendi ratio, dum omnia ipse sibi subtrahit, tantummodo, nequid ministerio huic subtrahatur. Et sic in eo quodammodo intueor, & contemplor pretiosum illum lapidem, quem Enydros indigitant. Qui, licet in se solidus admodum sit, & fortis, & asper, eam tamen aquæ vim à se diffundit, ut copiosum quandam fontem in se habere putetur. *Enydros ab aqua vocata, scribit de eo S. Isidorus, exundat enim aqua, ita, ut clausam in ea putei fontaneam scaturiginem.* Ita constanter, abundantèrque Crystallinas aquas profert, ut humanum iudicium credere debeat, perennem venam vivi, & copiosi cujusdam fontis inesse. Hinc ingeniosus aliquis hoc ei lemma adscripsit: *Indeficiens manat.* Semper nimirum fluit, & aquæ ejus nec cessant, nec deficiunt. Simili modò hîc quoque rem se habere mihi persuasum est, cum post tot, tantâque cum admiranda prorsus eruditione vulgata novum hoc opus emergit. Quod, cum ex omni parte usque adeò eximium deprehendam, & perspectæ mihi, satisque cognitæ sint authoris illius prærogativæ minimè vulgares, ad silentii sacrarium recedere cogor consilio illi acquiescens, quod Philosophorum nonnemo discipulis suis dare solitus dicebat: res valde insignes & oppidò claras nunquam ore vestro eloqui contendatis; aliud enim non efficietis, quàm, ut illæ quidem linguâ vestrâ minuantur, hæc verò obscurantur. Nihil ergo dicendum mihi, ne manifesto periculo exponar vel minuendi operis hujus amplitudinem, vel obfuscandi splendorem illum, quo ipsum, authorque ejus, & omnia, quæ illius sunt, clarissimè enitescit. Quare id unum dicendum mihi restat, petitam licentiam mereri, & vestram Altitudinem impertiri eam debere, siquidem ea, quæ continet, non solum exaltandæ fidei Catholicæ non adversantur, sed potiùs auxiliantur, sicuti & emendandis moribus, inflammandis in virtutum exercitio humanis cordibus, & inducendo frequentiori sacræ Communionis usui, admodum apta, atque apposita sunt. Ita sentio salvo &c. Dedi in Regio Monasterio ad S. Ægidium Madriti. 7. Augusti anno 1689.

D. Isid. lib.  
16. Etymol.  
cap. 13.

Frater Joannes de S. Antonio  
Ex-Quardianus ad S. Ægidium  
Pater, & Desinitor Provincia.

PROLO.